

si ne sçavoie encore quelle response mondit seigneur d'Orliens feroit sur ce, quant ces lettres furent escriptes. Et quant est d'autres nouvelles, mon tres redoubté seigneur, plaise vous sçavoir que le roy Loys estoit parti pour aler a Gennes par devers le Pape et a grant foison de gens d'armes pour faire son voyage en Itale, mais le roy l'a mandé et s'en retourne par deça. Et aussi mon tres redoubté seigneur, vous plaise sçavoir que les gens que le roy avoit envoiez en Galles sont descenduz ou pays sanz avoir trouvé aucun empeschement et la ont esté receuz bien et honourablement. Et aussi monseigneur de Cleremont, le conte de Fouez et le conte d'Armegnac qui estoient ensemble, ont prins ou pays de Guyenne pluseurs forterestes si comme le port de Sainte Marie, la cité de Daire et III ou IIII autres chasteaulx; ne autre chose ne sçay de présent qui vous face a escrire, mais se il survient riens de nouvel, je le vous feray sçavoir le plus tost que je pourray. Et aussi, mon tres redoubté seigneur, vous plaise a moy pardonner de ce que je m'enhardis a si plainement vous escrire car en bonne foy je le faiz plus seurement pour ce que je sçay de certain que vous estes tousjours moult desirant d'oïr nouvelles de par deça; mon tres redoubté et tres puissant seigneur, je me recommande a vous tant humblement de cuer comme je puis que il vous plaise m'avoir tousjours en vostre tres bonne grace et pour tout recommandé en moy commendant tout ce qu'il vous plaira comme a celui qui est tousjours prest et appareillié de faire et acomplir tous voz bons commendemens et plaisirs comme vostre petit vassal; mon tres redoubté seigneur, je prie Nostre Seigneur qu'il vous ait en sa sainte garde et qu'il vous doint bonne vie et longue.

Escript a Paris, le xxv^e jour d'aoust.

Vostre tres humble et tres obeissant serviteur,

OLIVIER DE MAUNY.

(Lettre close sur papier.)

Archives Nat., K 1482.

Traité d'alliance entre Jean II et Charles VI.

Valladolid, 7 décembre 1408.

Johannes Dei gratia rex Castelle et Legionis, universis et singulis

Christi fidelibus presencium seriem inspecturis et audituris, salutem et gratiam in Domino cum habundacia tranquillitatis et pacis. Notum facimus et cunctis fieri volumus manifestum quod cum eterna providente clemencia, multis jam evolutis annorum curculis, inter preclare memorie defunctos reges Karolum quondam Francie et Henricum quondam Castelle et Legionis proavum nostrum quorum gesta magnifica per universa mundi climata soleniter divulgantur, certe confederaciones, pactiones, lige, conventiones et amicie inite, concepte et ordinate fuerint et firmate et postmodum per serenissimum ac christianissimum principem Karolum regem Francie modernum, precarissimum fratrem nostrum, pro ipso et primogenito suo vel primo regni sui herede ex parte una et tam per inclite recordacionis serenissimum Johannem avum quam Henricum genitorem nostros reges Castelle, pro ipso genitore nostro et nobis ex parte altera, approbate, confirmate, renovate et roborate, sicut per eorum litteras patentes et autentiquas suis magnis sigillis debite communitas potest luculentius apparere, quarum siquidem litterarum originalia in archivis utriusque partis non immerito diligenter conservantur ipsarumque tenores hic haberi volumus pro expressis et insertis, nos revolventes in animam quam laudabile, quam salubre quamque dulce semper extitit in unitatis amore vinculum caritatis observare, que sue virtutis efficacia Ecclesie membra fortiter ligat ad invicem et cum Christo, nec permittit eos quos perfecte semel junxit ab invicem separari, neque consilium et auxilium sibi mutuo denegare, quin potius eorum omnia facit esse communia et insuper operatur in ipsis yndemptitatem (*sic*) voluntatum, nostreque consideracionis aciem dirigentes ad utilitates innumeras et inenarrabilia beneficia que, retrolapsis temporibus, regibus et regnicolis utriusque regnorum ex amiciciis hujusmodi provenerunt, cupientes et desiderabiliter affectantes memoratam fraterne caritatis unionem que tamdiu permansit illibata non diminucionem nostris temporibus recipere, sed crescere semper et proficere potius in augmentum omnemque cujuslibet occasionis amputare materiam que tam ex verborum quam sentenciarum dictarum litterarum antiquarum obscuritate, ambiguitate aut forsam (*sic*) inequalitate vel alio quovismodo, causam afferre posset dissencionis, alteracionis seu contencionis in futurum, constitutis in nostre majestatis presencia necnon preclarissime genitricis nostre Katherine regine et illustris patris nostri Fernandi, infantis Castelle, gerencium ad presens nostri regnorumque nostrorum regimen, curam et tutelam, ambaxiatoribus, procuratoribus et nunciis pre-

dicti carissimi germani nostri regis Francie ad nos propter hoc specialiter destinatis, videlicet reverendo patre Gerardo Dei gratia episcopo Sancti Flori necnon domino Robino de Braquemonte, domino de Granivilla, milite et magistro Johanne Huonis, archidiacono Avalonensi, ipsisque virtute potestatis eis attribuite per litteras prefati germani nostri regis Francie suo magno sigillo roboratas, quarum tenor inferius inseretur nomine prefati germani nostri et pro eo proque filio suo primogenito nato vel nascituro aut primo regni sui herede ac pro regno, terris, dominiis, subditis et adherentibus suis et aliis omnibus et singulis quorum interest vel interesse poterit quomodolibet in futurum, recipientibus, acceptantibus et solenniter stipulantibus, confederaciones, tractatus, compositiones, pactiones, ligas et amicicias tam ex nostra certa scientia quam de predictorum genitricis et patrui, tutorum nostrorum necnon aliorum prelatorum, baronum, magnatum et peritorum regni et consilii nostri, propter hoc specialiter et personaliter vocatorum consilio, voluntate pariter et assensu tractamus, inimus, facimus et firmamus sub forma et modis infrascriptis.

Primo, videlicet quod nos rex Johannes, rex Castelle et Legionis predictus filiusque noster primogenitus nasciturus sive primus regnorum heres, regna, terre, patrie, dominia et subditi nostri sumus ex nunc et erimus de cetero una cum dicto Karolo Francorum rege, fratre nostro carissimo filioque suo primogenito nato aut nascituro seu primo regni sui herede, regno, terris, patriis, dominiis et subditis suis, boni, veri, fideles, confederati et adherentes, amici tanquam nostro vero fratri naturali et germano, tali modo videlicet quod nos et filius noster primogenitus nasciturus seu primus regnorum nostrorum heres dampnum, vituperium, detrimentum aut dedecus dicti fratris nostri carissimi regis Francorum, filii primogeniti nati aut nascituri seu primi regni sui heredis, regni, terrarum, patriarum, dominiorum et subditorum suorum non procurabimus ullo modo nec cuiquam persone viventi cujuscunque status, condicionis, preeminencie aut dignitatis existat, eciam si persona fuerit regalis aut alia quevis que dicto fratri nostro carissimo regi Francorum, filio primogenito nato aut nascituro seu primo regni sui heredi, regno, terris, patriis, dominiis et subditis suis guerram, dampnum, vituperium, detrimentum aut dedecus facere, perpetrare voluerit, voluerint aut inferre consilium, auxilium prestabimus seu favorem. Quequidem lige, confederaciones, pacta, amicicie, convenciones, tractatus supra et infrascripte et scripti durabunt quo ad vitam fratris nostri carissimi regis Francie, filii

primogeniti nati aut nascituri et primi regni sui heredis nostrique regis Castelle et Legionis, prefati filii primogeniti nascituri sive primi regnorum nostrorum heredis predictorum et quamdiu ipsi et nos vitam duxerint seu duxerimus in humanis.

Item, predictum fratrem nostrum carissimum regem Francie, filium primogenitum natum aut nasciturum sive primum regni sui heredem, tam per mare quam per terram contra quascunque personas que possunt vivere sive mori cujuscunque status, condicionis, preeminencie aut dignitatis existant, eciam si persona fuerit regalis aut alia quevis que dicto fratri nostro carissimo regi Francie, filio primogenito nato aut nascituro sive primo regni sui heredi, regno, terris, patriis, dominiis et subditis suis guerram, dampnum, vituperium, detrimentum aut dedecus facere, perpetrare voluerint aut inferre, bona fide juvabimus et juvare tenebimur absque fraude, nosque guerram dicti fratris nostri carissimi regis Francorum, filii primogeniti nati aut nascituri seu primi regni sui heredis in nos et in personam nostram, tanquam propriam nostram recipiemus et ut caput guerre recipere tenebimur, ac in regnis et dominiis nostris tanquam nostram propriam, cum per litteras patentes sigillo dicti regis Francie fratris nostri carissimi aut filii sui primogeniti nati aut nascituri sive primi regni sui heredis certificati fuerimus quod guerra fuerit apperta et in regno Francie preconizata inter eundem regem Francie aut suum primogenitum natum sive nasciturum seu primum regni sui heredem ex una parte et regem Anglie seu quemcunque alium ex parte alia, infra decem dies a die predictae certificationis nobis facte, facere preconizari jubere tenebimur, sic tamen quod si dictus frater noster carissimus rex Francie filiusque primogenitus natus aut nasciturus seu primus regni sui heres sive alter eorumdem nos aut primogenitum nostrum nasciturum seu primum regnorum nostrorum heredem requisierint seu per eos aut eorum alterum, fuerimus de juvamine subditorum nostrorum armatorum seu galearum aut aliorum navigiorum ad opus dicte guerre subvenire requisiti, nos, primogenitus noster nasciturus seu primus regnorum nostrorum heres hoc facere, galeasque ac alia navigia et gentes armorum tam per terram quam per mare ad servicium et juvamen dicti fratris nostri carissimi regis Francie, filii primogeniti nati aut nascituri et primi regni sui heredis predictorum, ejus tamen vel eorum sumptibus et expensis, fideliter et efficaciter, omni fraude cessante, mittere tenebimur, jurabuntque capitanei armatarum hujusmodi tam per terram quam per mare sint admiraldi vel alii quicunque et facient solenne juramentum coram persona vel per-

sonis per dictum fratrem nostrum ad hoc deputata vel deputatis quod ambarum parcium honorem, utilitatem et commodum diligenter observabunt ac totis viribus fideliter procurabunt.

Item, poterunt vassalli et subditi nostri, libere et absque offensa qualibet per eos incurrenda, ad servitium et iuvamen dicti fratris nostri carissimi, filii primogeniti nati aut nascituri seu primi regni sui heredis, tam per terram quam per mare, ad opus dicte guerre, nostra tamen aut regnorum et dominiorum nostrorum necessitate cessante, quociens eis placuerit se transferre.

Item, guerra nomine fratris nostri carissimi regis Francorum predicti filiique primogeniti nati aut nascituri sive primi regni sui heredis seu nomine nostri sive primogeniti nostri nascituri aut primi regnorum nostrorum heredis contra quemcunque incepta sive incipienda, nos, primogenitus noster nasciturus aut regnorum nostrorum primus heres cum parte adversa pactum, tractatum, accordum, treugam seu pacem facere, tractare, accordare absque consensu et voluntate expressis predicti fratris nostri carissimi seu primogeniti nati aut nascituri sive primi regni sui heredis firmare non poterimus sive poterit quomodolibet aut inire poterit; tamen predictus germanus noster, primogenitus natus aut nasciturus sive primus regni sui heres, causis exigentibus, treugas particulares ad annum vel aliud brevius tempus citra tractare et inire si et quando sibi videbitur expedire, proviso quod dictas treugas particulares nobis aut primogenito nascituro vel heredi nostro significare teneatur et quod in eisdem nos, primogenitus nasciturus vel heres cum patriis et subditis nostris comprehendamur, si nobis placuerit comprehendere, quodque predictae treuge particulares unius anni vel temporis brevioris nequeant ulterius ad longius tempus sine expresso consensu nostro, primogeniti nascituri aut primi regnorum nostrorum heredis prorogari vel extendi, cessantibus in premissis et ceteris sequentibus universis omni fraude atque dolo.

Item, castra, civitates, ville, fortalicia sive loca que et quas nos, primogenitus aut heres sive gentes nostre, tam in regno et terra Anglie et ducatu Aquitanie quam in aliis regnis, terris et dominiis contra que et quas dictus frater noster, primogenitus natus aut nasciturus sive primus regni sui heres guerram inceptam habuerit vel inceperit acquisiverimus, occupaverimus acquisiverit seu occupaverit per mare vel per terram, dicto fratri nostro carissimo regi Francie ejusque primogenito nato sive nascituro aut primo regni sui heredi seu suo certo nuncio aut mandato, nos et gentes nostre predictae et filius noster primogenitus nasciturus sive primus regno-

rum nostrorum heres libere dare et restituere tenebimur ac eciam tenebuntur, bona tamen mobilia capta vel occupata efficientur capientis et eidem concedentur, secundum morem et consuetudinem regnorum Francie et Castelle predictorum.

Item, volumus quod si rex Anglie aut suus primogenitus seu quicumque regni sui heres et ducatus Aquitanie aut aliquis alius de sanguine regali Anglie fuerit captus per nos, primogenitum nasciturum aut primum regnorum nostrorum heredem sive per gentes nostras, tam per mare quam per terram, vel quicumque alius rex, dux vel comes contra quem principaliter dictus frater noster rex Francie ejusque primogenitus natus aut nasciturus sive primus regni sui heres guerram inceptam habuerit vel inceperit, ad arbitrium, voluntatem et ordinacionem dicti fratris nostri carissimi regis Francie vel ejus primogeniti nati aut nascituri sive primi regni sui heredis nostrique vel primogeniti nostri nascituri aut primi regnorum nostrorum heredis teneatur captus et captivus insimulque poterimus una cum dicto fratre nostro carissimo super expedicione dicti capti sive captivi ordinare, prout ambarum parcium placuerit voluntati; quicumque vero alius a predictis captus sive captivus extiterit, consentimus et volumus quod sit et efficiatur capientis et eidem concedatur.

Super quibus et eorum quolibet, tam super guerra quam personis supradictis et omnibus aliis ad hoc necessariis factum guerre, utilitatem et commodum dicti fratris nostri carissimi regis Francie, filii primogeniti nati aut nascituri sive primi regni sui heredis, regni, terrarum et subditorum suorum concernentibus, nos aut primogenitus noster nasciturus sive primus regnorum nostrorum heres, relacioni simplici et assercioni per dictum fratrem nostrum regem Francie aut primogenitum natum sive nasciturum seu primum regni sui heredem sive litteris super hoc aut suo certo nuncio, ad hoc specialem potestatem habenti, nobis aut primogenito nostro nascituro seu primo regnorum nostrorum heredi factis absque alia probacione seu informacione quacunque per predictum fratrem nostrum carissimum regem Francorum aut primogenitum natum seu nasciturum sive primum regni sui heredem faciendis, fidem indubiam tenebimur et tenebitur adhibere intimacioneque, prout predicatur nobis facta, nos et primogenitus nasciturus aut primus regnorum nostrorum heres predictum fratrem nostrum carissimum regem Francie, primogenitum suum natum aut nasciturum seu primum regni sui heredem, regnum, terras, dominia et subditos suos, secundum formam superius preinsertam, de facto tenebimur et tenebitur utiliter adjuvare.

Sane a ligis, confederacionibus, pactis, convencionibus et tractatibus predictis excipimus et excipi volumus personam sanctissimi in Christo Patris romani Pontificis, necnon similiter regem Arragonum et filium suum primogenitum qui nunc sunt, dumtamen idem rex Arragonum et filius suus primogenitus eorumve alter contra dictum fratrem nostrum carissimum regem Francie, primogenitum natum aut nasciturum seu primum regni sui heredem, regnum, terras, dominia et subditos suos sive nos, primogenitum nasciturum aut primum regnorum nostrorum heredem, regna, terras, dominia et subditos nostros guerram, dampnum, vituperium aut dedecus sive detrimentum non faciant, inferant aut procurent, faciat, inferat aut procuret sive fieri, inferri aut procurari faciant per alium quovismodo; quod si, quod absit, idem rex Arragonum aut suus primogenitus contrarium facerent, cessabit predicta exceptio et nos, primogenitus noster nasciturus aut primus regnorum nostrorum heres cum dicto fratre nostro carissimo rege Francie ejusque primogenito nato vel nascituro seu primo regni sui herede erimus, prout sumus, unanimiter confederati contra regem Arragonum et suum primogenitum prelibatos.

Que omnia et singula nos, predictus rex Johannes, sana et provisa deliberacione consilii super hoc habita, pro nobis, primogenito nascituro et primo regnorum nostrorum herede, regnis, terris, dominiis et subditis nostris promittimus et juramus in animam nostram promiseruntque et jurarunt prenominati genitrix et patrinus nostro tuteleque nostre nomine, super ymaginem et memoriam Domini nostri Jhesu Christi crucifici, Euvangeliaque sua sancta per nos et ipsos corporaliter tactam et tacta, promittimusque verbo regio, bona fide, fidemque et homagium eidem prefato carissimo fratri nostro Karolo Francorum regi, primogenito nato aut nascituro seu primo regni sui herede prestando, tenere, facere et de puncto ad punctum, fraude et malo ingenio cessantibus quibuscunque, adimplere et inviolabiliter observare, et hoc sub ypotheca et obligatione omnium bonorum nostrorum, heredum et successorum nostrorum presencium et futurorum necnon et sub pena parjurii quam rex potest incurrere tali causa, insuper sub pena c^m marcarum auri; in quibus obligacionibus et penis nos, dictus rex Castelle et Legionis, interveniente dictorum tutorum nostrorum auctoritate et consensu, regna et omnia bona nostra, heredum et successorum nostrorum dicto fratri nostro carissimo regi Francie ejusque primogenito nato seu nascituro sive primo regni sui heredi applicando pro judicato, condemnato, confessato et in ipsas penas si contra predicta nos

aut primogenitus noster nasciturus sive primus regnorum nostrorum heres fecerimus aut fecerit, confitemur nos et primogenitum nasciturum primumque regnorum nostrorum heredem incurrisse et tam de jure quam de facto adjudicamus totaliter incidisse, et nos ipsos, de auctoritate et consensu predictis, primogenitum nasciturum regnorumque nostrorum heredes et successores, regna, dominia, terras et bona nostra heredum et successorum nostrorum presencia et futura pro premissis firmiter adimplendis, subponimus et subposuimus coercioni et compulsioni camere Sedis apostolice, volumusque et consentimus quod ad majorem firmitatem predictorum omnium et singulorum litteras apostolicas super ipsis forciores et meliores dicto sapientum, substantia non mutata, nos et dictus primogenitus nasciturus primusque regnorum heres dicto fratri nostro carissimo regi Francie ejusque primogenito nato aut nascituro primoque heredi regni sui facere et concedere teneamur ac eciam teneantur, quociens per dictum regem Francie fratrem nostrum carissimum seu primogenitum natum aut nasciturum sive primum heredem regni sui nos aut primogenitus noster nasciturus sive primus regnorum nostrorum heres fuerimus aut fuerint requisiti; cetera vero alia omnia et singula inter utriusque nostrum predecessores ipsumque fratrem nostrum carissimum Francorum regem et nostros progenitores hactenus hinc inde per quecunque instrumenta, litteras et tractatus publicos vel privatos conjunctim vel divisim qualitercunque inita, firmata, ratificata seu declarata, eciam si juramentis et promissionibus sint vallata que hiis in tractatibus non sunt inserta, volumus deinceps esse nulla, irrita et cassata et cassamus, irritamus, revocamus et penitus adnullamus.

Tenor vero litterarum potestatis date nunciis memoratis sequitur in hac forma:

Karolus Dei gracia Francorum rex, omnibus presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod nos animo revolventes quantopere curandum sit universis et hiis precipue qui regendis populis preferuntur, veram inter se caritatis amicitiam conservare, que profecto semper solet cercior quanto vetustior reperiri, et recogitantes attentius sinceras et fideles amicitias, confederaciones et ligas a longe retrolapsis temporibus inter celebris recordacionis et memorie progenitores nostros Francorum reges et reges Castelle et Legionis et eorum regna, subditos, dominia, principatus atque terras, sapientum et proborum utriusque partis virorum consilio initas salubriter et inviolabiliter observatas, desiderantes ex intimis amicitias hujusmodi ad Dei laudem et honorem subditorumque transquilli-

tatem et pacem indissolubili nexu perdurare ac ad plenum confidentes de sapiencia, fidelitate, circumspectione et diligencia dilectorum et fidelium Gerardi de Podio, episcopi Sancti Flori, Guillermi de Monte Revelli dicti Heremite, militis et cambellani, magistri Petri Trousselli, archidiaconi Parisiensis, magistri requestarum hospicii, Roberti dicti de Braquemont, militis et cambellani, consiliariorum necnon magistri Johannis Huonis, archidiaconi Avalonensis, secretarii nostrorum, exhibitorum presentium litterarum quos in presentiarum ad serenissimi principis et amantissimi fratris nostri Johannis regis Castelle et Legionis (*sic*) pro nonnullis arduis negociis que non parum cordigerimus, duximus destinandos, ipsos ex certa sciencia maturoque precedente consilio nostros procuratores, tractatores et nuncios speciales facimus, constituimus, deputamus et ordinamus per presentes, dantes et concedentes eisdem sive quatuor aut tribus ipsorum, quorum idem episcopus et in ejus absencia dictorum militum alter remaneat semper unus, plenam et liberam potestatem, facultatem, auctoritatem et mandatum speciale faciendi, ineundi, tractandi, firmandi, renovandi et confirmandi pro nobis et nomine nostro heredumque, subditorum et adherencium nostrorum cum dicto fratre nostro pro se et nomine suo heredumque, subditorum et adherencium suorum necnon cum Katherina, regina Castelle, matre sua, carissima sorore nostra et illustri consanguineo nostro Fernando, Infante Castelle, patruo predicti fratris nostri aut cum alio vel aliis ad hoc ab ipso fratre nostro cum sufficiente et ydonea potestate deputato seu deputatis ac cum ceteris aliis quibuscunque quorum interierit (*sic*) et interesse poterit amicicias, confederaciones et ligas imperpetuum vel ad tempus, inter dictum fratrem nostrum suosque heredes, successores, subditos et adherentes et nos heredesque, successores, subditos et adherentes nostros sub ejusdem vel alterius cujuslibet tenoris forma sub qua fuerint olim inter predecessores suos et nostros observate vel alia que videbitur dictorum nunciorum et procuratorum nostrorum discrecionibus potius expedire, necnon declarandi, interpretandi et in alia forma redigendi et mutandi, si que videantur eis in dictis confederacionibus antiquis ambigua vel obscura vel eciam inmutanda, tractatusque per eos super hoc habitos, amicicias, pacta, convenciones, declaraciones, confederaciones atque ligas promissionibus, juramentis, stipulacionibus, obligationibus sive penis et aliis securitatibus quibuscunque hinc et inde firmandi, muniendi, vallandi et roborandi ac jurandi in animam nostram, quod omnia per eos simul, quatuor aut tres ex ipsis quorum idem episcopus aut in ejus absencia dictorum militum alter sit

semper unus, ut prefertur, super hoc tractata et concordata tenebimus et faciemus firmiter, constanter et irrefragabiliter observari, simileque juramentum ab alia parte petendi, requirendi et recipiendi, ac insuper omnia alia et singula gerendi, exercendi et expediendi que in premissis et circa ea fuerint necessaria seu quomodolibet opportuna et que faceremus seu facere possemus si presentes interessemus, eciam si talia sint que mandatum exigant speciale, promittentes bona fide et in verbo regio, sub obligatione omnium honorum nostrorum, pro nobis, heredibus, successoribus, subditis et adherentibus nostris stabile, ratum et firmum habituros quicquid per dictos procuratores et nuncios nostros actum, tractatum, declaratum seu gestum in premissis et eorum singulis fuerit ac per nostras patentes litteras ad majus robur, quociens opus fuerit et requiremur, confirmare. In cujus rei testimonium, presentes litteras sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum Parisius, die xxiiii^a mensis aprilis, anno Domini millesimo cccc^o octavo, regni vero nostri xxviii^o. Sic signatum : Per regem in suo consilio, Neauville.

In quorum omnium fidem et testimonium, presentes litteras sigilli nostri munimine, necnon ad amplioris certitudinis firmitatem prefatorum genitricis et patris nomine, subscriptione sigillisque, una cum signo notarii publici fecimus et jussimus communiri. Datum in Valleoleti, die septima decembris, anno Domini millesimo quadringentesimo octavo.

YO LA REYNA.

YO EL INFANTE.

(*Signum notarii*). Et ego Johannes Roderici de Villaleo, clericus Legionensis diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, premissis tractatibus, stipulationibus, acceptacionibus, firmacionibus, excepcionibus, promissionibus, juramentis, submissionibus et revocationibus omnibusque aliis et singulis, dum sic ut premittitur agerentur et fierent, una cum infrascriptis testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis, videlicet reverendo in Christo patre et domino domino Johanne, episcopo Segobiensi, magnificis et potentibus viris dominis Frederico de Trastamara, Henrico de Montejocundo, comitibus ac egregiis militibus dominis Petro Affan de Ribera, Didaco Fernandi de Corduba, marescallo necnon magne auctoritatis viris dominis Guterrio Gomecii, archidiacono de Guadalfajara in decretis, Johanne de Salamantica, Petro Yanes ac Johanne Gundisalvi de Azevedo in legibus doctoribus, presens interfui et de mandato dictorum dominorum regine et infantis, tutorum dicti regis suorumque regnorum gubernatorum, hoc presens publicum

instrumentum, me, aliis arduis occupato negociis, aliena manu fideliter scriptum in publicam formam reddegi signoque meo signavi rogatus pariter et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

(Bulle de plomb de Jean II sur lacs de soie; sceau de l'infant D. Fernando sur lacs de soie; celui de Catherine de Lancastre manque.)

Archives Nat., J 604, n° 76.

55

*Charles VI approuve le traité de paix conclu entre la
Castille et le Portugal.*

Paris, 15 juillet 1411.

Charles par la grace de Dieu, roy de France, a tous ceulx qui ces présentes lettres verront, salut. Comme nostre tres chier et tres amé frere le roy de Castelle et de Léon nous ait nagaires par ses lettres et messaiges signifié et fait savoir que le roy de Portugal et d'Alguarbe avecques lequel et ses royaumes et subgiez nostredit frere, ses prédécesseurs, royaumes et subgiez ont eu par long temps guerre et discension, a plusieurs foiz fait requérir nostredit frere de continuer le traittié ja pièça encomencié entre feu de noble mémoire le roy Henry derrenierement trespasé, nostre tres chier frere, que Dieux absoille, et pere de nostredit frere et ledit de Portugal et d'avoir paix et accord avecques lui et sesdiz royaumes et subgiez, et que sur ce avoit et a esté tant procédé par grand et meure délibération de conseil que pour mettre et nourrir bonne amour entre eulx et leurs diz subgiez, et afin que en la guerre que nostredit frere a l'encontre des Mores, Sarrazins et autres ennemis de la foy catholique, ledit de Portugal lui soit aidant comme il lui a offert et promis et prengne bonne et briefve conclusion en telle maniere qu'il les puist subjuguier et apres vivre en paix et gouverner ses royaumes et subgiez dessusdiz soubz bonne justice en bonne tranquillité, et attendu aussi que l'occasion et tiltre que avoit eu ledit feu roy Jehan de Castelle, nostre frere, a faire guerre audit de Portugal et a ses subgiez estoit pour le fait de la royne Biatrix qui avoit eu et avoit pour ce